

Ann. 998, 28 aprilis.

*Bulla Gregorii PP. V,  
qua jura monasterii mediolanensis sancti Ambrosii  
confirmantur.*

UGHELLI, *Ital. Sacra*, T. IV, p. 98.

*Ex apographo saec. XII in Arch. s. Fidelis Mediol.*

PORRO.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Postquam beato Petro apostolorum principi Dominus ac Redemptor noster Jhesus Christus ex utero Virginis pro nostra redemptione, ut erat Deus verus ante secula, **b** verus homo in fine seculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in celo et in terra potestatem tribuit, etiam januas regni celestis reserandas concessit. Supra soleditatem fidei suam sanctam stabilire dignatus est ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram hedificabo ecclesiam meam, et porte inferi non preva-  
lebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni celorum, ut quod tu ligaveris super terram, ligatum erit et in celo, et quodcumque solveris super terram, solutum erit et in celo. Postquam et hujus vicarii sincerissime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, tantam dignius perceperunt potestatem, et universi curam sunt sortiti regiminis, inter quos et nostram parvitatem Dei omnipotentis misericordia **c** connumerari dignata est; ob hoc universitati credentium intexere volumus, quam abbatiam in honore celeberrimi Christi confessoris Ambrosii, nec non venerabilium martirum Protasii et Gervasii constructam, hubi eorum sacra corpora reconduntur, per hujus nostrae auctoritatis privilegium integerrime corroboramus cum omnibus ecclesiis, oraculis, cortibus, massariis, districtis ad ipsam respicientibus, scilicet Paxiliano, monte Feliciano, Leveniano, Ceresola, Lemonte, Capiate, Clevese, Oleducto, Campilione, **d** Anticiaco, Colonia, Verederio, Cavanaco, Villa Alba, Gugniano, atque cum universis ad prefatam abbatiam pertinentibus; eo scilicet ordine, ut monachi ipsius cenobii simul cum abbate, qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, pretaxatas ecclesias, oracula, cortes massaricias, servos, ancillas, aldiones et aldianas, sine alicujus majoris minorisve persone contradictione habeant, teneant et possideant, atque in eorum usum ac sumptum, prout melius placuerit, distribuunt, nostra apostolica auctoritate concedente. Si quis vero, quod non credimus, diabolico suasu contra hujus nostre apostolice concessionis firmationem in poste-

rum agere temptaverit, et prelibati monasterii cenobitas in aliquo, quod eis concessimus, inquietaverit, sit anathema orrendum a trecentis decem et octo patribus <sup>(1)</sup>, et ex consensu fraudis Jude animeque adequetur flammis, et a Patre et Filio Sanctoque Spiritu, nec non a beato apostolo Petro maledictus in presens et futurum rei crimine astrictus semper maneat, atque a catholica ecclesia sit eliminatus, donec prenominatae abbatiae monachos eorumque patrem digna satisfactione placare studuerit. Scriptum per manus Petri notarii et scriniarii sancte romane ecclesie in mense aprili et indictione xi. † Bene valete.

Datum IIII kalendas majas per manus Johannis episcopi sanctae albanensis ecclesiae, et bibliothecarii sanctae apostolicae sedis anno Deo propitio pontificatus domni Gregorii summi pontifici et universalis quinti pape in sacratissima sede beati Petri apostoli II, imperante domnus Ottone III coronato magno et pacifico imperatore anno II, in mense et indictione suprascripta.

(1) Alludesi qui con questo anatema al Concilio generale di Nicea, composto appunto di trecento diciotto Padri, radunatis per combattere le innovazioni dottrinali dogmatiche di Ario, e formulare venti canoni disciplinari, ai quali, attesa la grande venerazione